

re; nam grave peccatum est, ea negare dignis, aut dare non dignis ut monet Navarrus. Denique debent e scholis opportune dimittere eos, qui aliis malo sint exemplo, aut eos in Scholas non admittere; vel saltem eos monere, quibus hujusmodi cura incumbit.

TRACTATUS IV.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

Non occides. Exodi 22.

CAPUT I.

De sui Occisione.

1. *Quæst. 1.* Quid prohibetur hoc præcepto? R. nominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis afflictio injusta: prohibentur horum causæ, & dispositiones, ut odium, vindicta, rixæ, cet. nam ut Christus sæpe docuit in Evangelio, præcipitur mansuetudo, patientia, & injuriarum condonatio. Porro homicidium est gravissimum peccatum, cum tollatur homini vita, quæ bonum est maximum, quod reparari non potest. Ideo Ecclesia damnat Excommunicatione mandantes, occidi Christianum per sicarios, eosque recipientes, defendentes, aut occultantes, ipsosque ait, incurrere depositionem ab omni dignitate, officio, ac Beneficio. Ita in c. *pro humani de Homicidio*, ubi tales habentur tanquam *banniti*, ita ut amittant omnia

sua bona, & detur cuilibet facultas eos necandi. Verum hæc intelligenda sunt post sententiam declarantem legitimi Judicis, nec ante illam annathemate sunt obstricti, aliisque poenis supra dictis. Quibus ex eadem ratione comprehenduntur ipsi sicarii, quamvis Pontifex de solis mandantibus loquatur. Vide Navarr., Azor., & alios.

2. *Quæst. 2.* An liceat se ipsum occidere? R. *directe* id nunquam licet sine Divina auctoritate; est enim contra charitatem sui ipsius, & fit injuria Reipublicæ, & Deo, qui est solus humanæ vitæ Dominus. Imo juxta multos se ipsum accidens peccat contra justitiam, licet alii solum censeant, peccare contra charitatem. Quod si Sampson, aliique Martyres se ipsos morti objecere, pie creditur, eos id fecisse ex Divino afflatu. Licitum est tamen aliquando, se *indirecte* occidere, hoc est, aliquid ex gravi causa facere, vel omittere, unde præter ipsius mentem mors oriatur; præceptum enim conservandi vitam, utpote affirmans, non ita semper obligat, ut nequeant aliquando omitti ob bonum finem, sive ob utilitatem magnam, vel necessitatem. S. Th. 2. 2. q. 6. Unde miles non tenetur stationem deserere, etiam si moraliter certus sit, sese occidendum; Episcopus, & Parochus possunt, ac debent perferre mortem, ne gregem sine pascuo deserant. Potest quis se telo objicere ad servandam vitam Principis; imo ad servandam vitam amici potest quis tabulam cedere, ut docent AA. ex D. Th. qui in 3. d. 29. ar. 5. ad 3. ait: *trade-*

re se ipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis; unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam propriam corporalem.

3. *Quæst. 3.* An liceat navim incendere cum evidenti vitæ periculo, ne veniat in manus hostium? Affirmant Lugo, & alii, si aliqua sit spes servandi vitam. Melius tamen negant alii, nisi id valde expediat ad bonum publicum.

Quæst. 4. An liceat Virgini se occidere ad servandam castitatem. R. 1. certum est, non licere, se directe occidere, etiam ad servandam virginitatem ex generali præcepto: *non occides*; Et quia castitas est animi virtus, quæ non amittitur nisi a consentiente, quicquid exterius per vim patitur. *Corpus mulieris non vis maculas sed voluntas*, ait S. Hieron. in cap. de pudicitia. 32. q. 5. Nihilominus non videtur improbabile, quod aliqui affirmant; posse Virginem sese exponere certo mortis periculo, licet nequeat certam querere mortem, ut a violatore se defendat, presertim cum semper sit periculum consensus. An vero Virgo teneatur potius permittere, se occidi, quam violari? disputant DD. sed in praxi suadenda est affirmans sententia, cum nequeat virgo, permitti se violari sine periculo consensus. Itaque femina ab invasore constricta non potest quiescere, sed manibus, pedibus, & clamore, quantum possit, sese tueri debet.

4. *Quæst. 5.* An possit Reus ex præcepto Judicis se ipsum occidere? Negant communiter DD. cum S. Th. & Suarez, quia oc-

cisio sui ipsius intrinsecus mala est, nec potest a Judice præcipi, vel a Reo patrari. Concedunt tamen, posse Reum scalam ascendere ad supplicium, collum gladio adaptare, cum actiones istæ tantum remote ad mortem tendant. Eadem ratione potest Reus e carcere aperto non fugere, imo & se sistere judici plectendum. Notandum hic tamen, non esse licitum, venenum haurire, vel experiri morsum viperæ, nisi constet experimento, vel peritorum iudicio, non esse grave mortis periculum.

5. *Quæst. 5.* An liceat, vitam sibi minuire vigiliis, aliisque corporis macerationibus? R. non licet id positive procurare, ideoque peccant, qui immoderatis austeritatibus dant operam cum gravi valetudinis detrimento, nisi excuset bona fides, & inconsideratio, ut sæpe eos a peccato gravi excusat. Licet tamen moderate corpus afitigere, ut rebellem carnem in servitum redigas, etsi vita etiam per annos aliquos esset brevianda. Imo non obligaris ad vitam diutius conservandam uti medicinis, aut rebus pretiosis, aut querere salubriorem aërem extra patriam. Ideo non tenetur Carthusianus carnibus vesci ad vitandam mortem, quamvis ea uti possit in extrema ægritudine, atque etiam in probabili periculo mortis, ut Azor, & Salmanticenses probant. Nec tenetur æger abscisionem cruris subire ad vitandam mortem, licet ordinarias non possit medicinas respuere, si spes sit salutis.

6. *Quæst. 6.* An liceat, se mutilare? R. neg. nisi sit necessarium ad conservationem vitæ,

cum nemo sit membrorum suorum dominus, sed custos. Hinc non licet, se ipsum castrare ad tuendum castitatem, quia ad id finis non est necessarium, ut docet S. Th. 2. 2. q. 65. Nec licet, pueros castrare ad conservandam vocem, ut docet probabilior sententia, cum id non liceat ob bonum animæ; nec vocis conservatio tantum bonum est, ut propter ipsum liceat agere, quod improbat natura. Nihilominus aliqui non improbabiliter affirmant id licere, modo absit probabile mortis periculum, nec pueris invitis fiat. Eunuchi enim utiles sunt ad Divinas laudes in Ecclesia canendas; nec vocis conservatio parvi momenti est, cum ejus ope congruam sibi sustentationem comparent; hinc fit, ut ea mutilatio quotidie sit in usu & ab Ecclesia toleretur, ut ait Elbel.

7. Hinc nota, Ecclesiæ Canones prohibere, sepeliri in loco sacro eum, qui se ipsum interfecit. Verum id non est intelligendum de iis, qui ex furore, amentia, vel gravi tristitia, aut phantasie perturbatione mortem sibi consciscunt, vel qui ante mortem vere de crimine suo doluerunt. In dubio autem, an a se ipso, an ab alio quis sit interfectus, in favorem ejus præsumendum est, nisi contrarium ex evidentibus indiciis constet.

CAPUT II.

De occisione Rei, & iniqui aggressoris.

8. *Quæst. 1.* An liceat occidere malefactorem? R. extra causam propriæ defensionis

nulli id licet, nisi auctoritate publica, & juris ordine servato. Constat ex illo Ex 20. *Non occides*, & ex ep. ab Rom. c. 13. v. 4. *Dei enim Minister, vindex in iram ei, qui malum facit.* Unde non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere, in adulterio deprehensas. Et contraria sententia damnata est ab Alex. VII. prop. 19. dicente: *non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Leges autem Civiles id non probant, sed solum tolerant, ne videantur favere adulteris, & ne puniant in marito delictum, quod a gravi iræ motu, & vehementi passione ortum creditur.

9. Licet cuivis occidere proscriptos, quos occidendi publica datur facultas ad bonum Reipublicæ; modo id fiat in territorio proscriptentis, aut in alieno cum facultate Principis; & modo non fiat ex odio, aut ex fine propriæ vindictæ. Potiori jure Princeps, aut Magistratus potest reum occidere, ut constat ex 22. *Ex. maleficos non patieris vivere*; & ad Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat*; cum talis potestas necessaria sit ad bonum commune, & Reip. tranquillitatem. Peccaret tamen Magistratus, qui juberet reum occidi inauditum, vel non damnatum, etsi privatim sciret esse nocens; quia est jure naturæ actus publicus fieri debet ex scientia, & auctoritate publica. Excipe, si crimen sit notorium, aut esset periculum seditionis, aut dedecus Regis, si juridice ageretur. Debet tamen Reo dari tempus ad confessionem; atque etiam ubi consuetudo viget, ad Communionem, quæ fieri potest a non jejuno, non secus ac fit ab

ægroto in articulo mortis, atque in ipsa die supplici. Quod si reus confiteri nolit post pias adhortationes, potest licite occidi; tunc enim ejus culpæ damnatio tribuitur.

10. *Quæst. 2.* An liceat ad tuendam propriam vitam occidere iniquum aggressorem? R. aff. modo id fiat animo sese defendendi, & cum moderamine inculpatae tutelæ, hoc est, non inferendo majus damnum, nec utendo majore vi, quam necessaria ad arcendam injuriam. Ita communis sententia cum S. Th. 2. 2. q. 74. art. 7. dicente: *nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius.* Ubi explicat doctrinam S. Aug. & ait in resp. ad 1. *quod in occidendo non potest intendi mors alterius, sed sola propria defensio.* Quam doctrinam admittit Catech. R. de 5. præc. n. 8. dicens: *licet salutis tuendæ causa alterum occidere, subdens, satis apparere; hujusmodi homicidium a lege Divina non prohiberi.* Ratio autem est, quia jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, & contra aggressorem vitam tuam defendas, licet exinde mors illius sequatur præter mentem tuam, cum solum intendas te defendere. Quod si inde proximi damnatio oriatur, malitiæ ipsius est tribuenda. Potest tamen quis cum laude pati, sese occidi, ne alter vita æterna privetur; dummodo ipse non versetur in peccato mortali, quia tunc deberet se defendere: pariter ad id tenetur, si vita ipsius ad bonum commune valde sit necessaria.

11. *Quæst. 3.* An liceat occidere invasorem ad tuendam integritatem membrorum, vel

an potius tenearis, perdere unum corporis membrum, quam illud tueri cum morte inuasoris? R. id licere, modo servetur moderamen inculpatae tutelæ, ita ut nequeas illum occidere, si ad defensionem tuam satis sit illum percutere, aut aliter vim ejus repellere. De cetero potest quisquam uti jure suo ad conservandam vitam, & integritatem corporis injuste oppugnatam. Notandum est tamen, reo non licere, occidere ministros justitiæ, a quibus est captus, uti nec licet id proscriptis, quia illi non sunt iniqui aggressores; licet aliqui proscriptis concedant jus se defendendi. Nec vero satellites possunt reum fugientem interimere, nisi hoc auctoritate publica sit eis mandatum.

12. *Quæst. 4.* An liceat, alterum occidere ad proprium honorem defendendum? R. neg. cum modus, reparandæ contumeliæ, aut illatae injuriæ non sit alterum occidere; imo percussio pro injuria illata vindicta sit potius, quam defensio. Quod si quis viro nobili intendat alapam, aut fustem impingere, debet illam vitare alia via, quam per occisionem proximi, scilicet per viam publicæ justitiæ; aliter si ob defensionem honoris licitum esset, vitam aliis adimere, pateret via multis cædibus in perniciem Reip. Ideo Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

13. *Quæst. 5.* An liceat occidere furem in

defensionem bonorum? R. 1. certum est, non licere, aliquem occidere ad tuenda bona parvi momenti, quia præceptum charitatis exigit, ut præferamus vitam proximi rebus, quæ nobis non sint valde necessariæ. Hinc ab Innoc. XI. damnatæ sunt theses istæ: 1. regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei. 2. non solum licitum est, defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. 3. licitum est hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel Præbendam contra earum possessionem injuste impedientem.

14. R. 2. Probabilissima, & communis sententia docet, licitum esse, occidere furem rei magni momenti, si non possit aliter defendi, quam per mortem diripientis. Ita S. Anton. 3. p. t. 4. c. 3. Nam si possum, inquit, occidere furem ubi non cognosco, & non potest ei rebus furatis provideri per Judicem. (ut l. furem ff. ad L. Cornel.) multo magis licet occidere, ubi persona aliter salva esse non potest. Atque id expressius dixit eodem loco §. 2. his verbis: item licita est defensio cum moderamine, non solum pro persona, sed etiam pro rebus; & non solum pro suis, sed etiam pro rebus ibi depositis, et commodatis, & etiam pro rebus amicorum, & propinquorum suorum, eos scilicet adjuvando. Idem docuit D. Raymundus lib. 2. de raptu §. 18. non possum repellere a possessione, nisi illos

occidam, & sic erit licita talis defensio. Atque in eadem sententia videtur fuisse D. Th. 2. 2. q. 64. art. 4. ubi ex illo Ex. 22. si effringens fur domum, sive suffodiens, inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; concludit S. Doctor, sed multo magis licitum est, defendere propriam vitam, quam propriam domum: ponit ergo ut rem certam, a textu permitti occisionem furis. Quod si id non permittitur orto jam Sole ideo est, ut Interpretes explicant, quia orto Sole fur facilius cognosci potest, & bona ablata per judicem recuperari possunt.

15. Dices: præceptum charitatis obligat præferre bona altioris ordinis, qualis est vita proximi, bonis temporalis. R. id solum verum esse, quando proximus est in extrema, aut gravi necessitate, non vero cum ipse sese sponte exponit mortis periculo; alias nec licitum esset occidere invasorem propriæ vitæ. Qui autem contra adducit solent aliqui textus juris, intelligendi sunt, cum res ablata est parvi momenti, & cum aliter defendi poterat, quam per mortem furis; in qua hypothesis certe non licet, furem occidere. Nec licet id, cum rem ablatam fur in tuto posuit; sed illa per judicem recuperari debet, ut ait S. Antoninus. Quod si nulla sit spes recuperandi vel prejudicium, vel alia via, multi docent, posse te rem tuam vindicare, etiam per mortem furis, qui semper est invasor rei, quandiu eam injuste retinet.

16. Qualis autem debeat esse valor rei, ut censeatur magni momenti, & sufficiat ad furem

occidendum; definiri facilem non potest. Generatim loquendo ajunt Viva, & Elbel, illam esse magnam summam, qua sublata, deficeret alicui sustentatio pro se, & suis; idem tenet Natalis Alexander. Alii cum Salmant. volunt eam sufficere rei summam, quæ grave damnum afferret domino, id quæ æstimandum esse ex qualitate personæ, si dives sit, aut pauper.

17. *Quæst. 6.* An liceat, occidere in vasorein pudicitia? affirmat D. Ant. p. 2. t. 5. c. 6. his verbis: *U silicet non solum se, sed & bona sua defendere, quare etiam ne pudicitiam amittat?* Et tit. 7. c. 8. idem confirmat, cum ex jure naturali, quod habet, ut vim vi repellat, tum ex periculo consentiendi, si se opprimi permittat. Cui doctrinae consentiunt præter antiquos TT. multi etiam moderni, & in his P. Cuniliati de 6. præc. c. 2. Sed intelligendum est, quando aliter pudicitia defendi non potest. Tenetur enim femina se tueri, totis viribus resistendo, manibus, pedibus, atque aliorum auxilium clamoribus invocando, & nunquam positive quiescendo. Nam *Deut. 22.* puella quæ in civitate vim patiens, non clamavit, consensisse censetur, adeoque jubetur, lapidibus obrui.

18. *Quæst. 7.* An liceat, prævertere aggressorem? Respondent multi, posse licite occidi aggressorem quem certo seias, paratum esse ad te invadendum, nisi fuga, vel alia via possis insidias ejus evadere; alias *ridiculum esset*, ait Roncagl. *velle cogere aliquem ad expectandam aggressionem, quando juste timeret, non posse amplius eam repellere.* Sed in praxi vix potest hæc

doctrina habere locum propter hallucinationis periculum, quod in hac re adesse potest. Atque ob eandem rationem, & graves inde imminentes abusus non licet, eum occidere, qui apud Judices falsa accusatione, aut testimonio bona alterius, aut famam insectatur. Constat ex prop. damnata ab Alex. VIII. *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.*

19. *Quæst. 8.* An liceat, defendere vitam proximi cum occisione injusti in vasoris? Aff. D. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. ad 2. ubi ait: *Vel potest dici, quod Moyses occidit Egyptium, defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatae tutelæ.* Unde Ambr. ait lib. 1. de offic. c. 36. *quod, qui non repellit injuriam a Socio, cum posit, tam est in vitio, quam ille, qui facit.* Et adducit exemplum Moyses. Tenemur autem omnes ex charitate defendere vitam proximi, cum id facere possumus sine gravi nostro periculo. Ex justitia vero ad id officium tenentur publici Magistratus; imo & ad vitam Principis tuendam ex justitia milites tenentur etiam cum vitæ suæ discrimine.

CAPUT III.

De Occisione innocentis.

20. *Quæst. 1.* An liceat aliquando, occidere innocentem? R. 1. directe nunquam licet, nisi Deus omnis vitæ dominus concedat; nemo

enim præter Deum dominium habet vitæ alterius. Hinc Ex. 23. *insontem, & justum, non occides, quia adversor impium.* R. 2. *Indirecte, & ex accidehñis aliquando licet ob causam gravissimi momenti, dando operam rei necessariæ, ex qua præter agentis mentem perituri sint innocentes.* Ita cum S. Th. DD. omnes, qui docent 1. ad expugnandam urbem in bello justo licere, tormenta bellica dirigere in eum locum, ubi multi sunt innocentes. 2. si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam sit obtinendus, licet nihilominus fugere; quia uteris jurè tuo, nec censis causa moralis mortis. Excipe, nisi moriendus sit infans, nondum baptismò initiatus, ut monet Lugo.

21. Non licet, occidere obsides, etsi qui eos miserant, non servent fidem; quia ipsi sunt innocentes. Nec licet, occidere innocentem ad servandam urbem, quam Tyrannus minatur excidere, nisi tradatur innocens. Potest tamen Resp. cogere innocentem, ut adeat, & si nolit, tradere; hoc enim solum est, permittere ejus mortem ad bonum Reipublicæ. Quod si ille renuat pro salute Patriæ se tradere, jam vere non esset innocens, adeoque posset a Rep. Tyranno tradi. Secus si Tyrannus peteret Virginem ad illam stuprandam, non enim posset Resp. eam cogere ad subeundum animæ periculum; imo & eam cogere in ea hypotesi, esset consentire luxuriæ.

22. *Quæst. 3.* An liceat procurare abortum? R. per se, & directe nunquam licet, sive

fœtus sit animatus, sive non: primum enim est homicidium, & secundum tendit ad occisionem hominis, & est contra naturam generationis. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Confirmari potest ex S. Basil. ep. ad Amphil. *Quæ de industria fœtum corripit, cædis pœnas luat. Formati autem, vel informis subtilitas non attenditur.* Ex Conc. Eliberit. Ancy. Moguntino; & Wormat. & ex c. 5. de homic. *Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.*

23. *Quæst. 4.* Num liceat matri in morbo extremo constitutæ sumere remedium ad fœtum expellendum? R. 1. certum est, non licere matri extra mortis periculum, sumere pharmacum, quò fœtus expellatur, etiamsi sit inanimis, quia vitam hominis directe impedire, peccatum est grave; gravius autem erit, si fœtus animatus sit. Certum est. 2. non licere Matri etiam cum mortis periculo, sumere potionem ad expellendum directe fœtum, anima præditum cum hoc esset directe procurare filii mortem. *Quæstio autem est, an liceat matri, sumere remedium ad vitæ suæ conservationem omnino necessarium cum periculo expulsionis fœtus?* R. si fœtus sit in animis, certe licet matri, vitam suam procurare, licet inde præter mentem suam sequatur fœtus expulsio, quæ matri non tribuitur, cum ea so-

lum utatur jure sibi a natura dato vitæ suæ conservandæ. Quod si fœtus sit animatus, communis sententia docet, posse a Matre remedia adhiberi, quæ directe tendant ad servandam ejus vitam, quæ aliter servari non posset; secus autem de iis remediis, quæ per se tendunt ad occisionem fœtus; hæc enim nunquam licent.

24. Major autem est difficultas, cum dubitatur, an matre pereunte, proles possit esse superstes? Poteritne mater sumere medicamentum ad tuendam vitam suam cum periculo mortis filii absque baptismo? Affirmant Holzman, Salmant. cum Prado, & aliis, non enim est obligatio mortem perferendi pro salute æterna alterius, quando hæc est incerta, ut in quæstione laudata. Sed huic opinioni adhærere non possum; sicut enim cum certa est mors prolis, si mater medicinam sumat, & alias certa est mors matris, si a medicina absteat, tenetur utique mater a medicamine abstinere, præferendo vitæ suæ corporeæ vitam spiritualem filii; sic etiam ordo charitatis postulat, ut absteat, quando dubitatur de salute matri, & prolis. Nisi æquale sit periculum abortus, sive medicina sumatur, sive non; quia tunc potest consuli saluti matris sine novo filii periculo. Pariter, si nulla sit spes vitæ prolis post mortem matris, ita ut sacro fonte lustrari possit.

25. Nota, incertum esse, quo tempore proles anima informetur. Sunt, qui censeant masculinum ad diem 40., feminam ad 80., alii ad 30. vel 35. animam infundi sentiunt. Nec desunt multi, qui velint, fœtum in ipso sui conceptus

momento animari. Ecclesia autem ut pie Mater quoque poenas homicidis indicendas communem sequitur sententiam de animatione ad diem 40. Innoc. autem XI. damnavit hanc propos. *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter in nullo abortu homicidium committi.* Pœnæ autem inflictæ abortum procurantibus sunt irregularitas, & excommunicatio, quibus solum ii subjacent, qui abortum scienter procurant fœtus animati.

26. *Quest. 5. Quid & quotuplex est homicidium fortuitum? R. dupliciter potest contingere homicidium fortuitum, seu casuale; vel dando operam rei licitæ, vel illicitæ. Unde S. Th. 2. 2. q. 54. a. 8. ait: secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, non evadit homicidii reatum.* Dux igitur sunt regulæ, quæ in hac materia possunt assignari, I. quando quis dat operam rei licitæ, & ex ea per accidens sequitur homicidium, ab eo excusatur, etiamsi illud præviderit, modo non intenderit, & ad illud vitandum diligentiam prudentem adhibuerit. II. Si dat quis operam rei illicitæ, & homicidium prævideat, licet non intendat, ab illo non excusatur, cum sit illi voluntarium. Intellige, si opus illicitum sit periculosum & ex eo mors frequenter oriri possit, aut soleat. Unde rei sunt homicidii, qui calce percutiunt, aut gravi terrore afficiunt mulierem

prægnantem, ex quo sequitur abortus; parentes, suffocantes infantem in lecto; hominem fortuito occidentes, funda lapidem in eum conjicientes, etiam ludendi causa. Hinc sancitum fuit in *c. fin. de hom. in 6.* irregularem effici, qui mandarit aliquem verberari, licet prohibuerit occidi, si mandatarius occidat.

27. Quod si opus illicitum sit quidem periculosum, sed leviter tamen, ita ut non nisi raro ex eo mors oriatur, ab homicidio excusatur, qui ei dat operam, debitam diligentiam adhibendo ad vitandam mortem. Itaque in foro saltem conscientie reus homicidii non censetur Clericus, qui casu necaret hominem in venatione ferarum, alias ei prohibita. Idem dico de adultero, qui occidit maritum aggressorem in defensionem vite sue cum moderamine inculpatæ tutelæ. An autem is irregularitati subjaceat, disputant DD. Censeo, illum subjectum esse, si ita ad feminam accedat, ut periculum invasionis prævideat proximum; & facile; secus vero si caute adeat, ita ut nullum, aut remotum tantum prævideat periculum. Eodem modo distinguendum est circa irregularitatem adulteri, si vir, cognito adultero, uxorem occidat. V. Sporer, & Roncaglia de Censuris.

CAPUT IV.

De Duello.

28. Duellum est duorum, vel subinde plurium certamen, uno indicente, & altero acceptante susceptum, certo loco, die, ac tempore

mutuo consensu assignatis. Quod si fiat auctoritate Principis ad justum bellum conficiendum, licitum est, cum non minus liceat ex justa causa pugna inter paucos, quam inter multos milites. Sic David, consentiente Saule, contra Goliath pugnavit privato certamine. Sed non licet Ducibus, permittere duella militibus ad ostentationem virium, vel ad privatam ipsorum vindictam, cum non sint domini vite militum, nec nisi ob bonum commune possint milites objicere mortis periculo. De cetero duellum proprie, & stricte sumptum est illud, quod fit a paucis privata auctoritate.

29. *Quæst. 1.* An liceat duellum ad indagandam veritatem, vel justitiam, vel ad purificationem criminis? R. neg. quia hujusmodi via fallax est, & superstitiosa ad eum finem, cum etiam innocens occidere possit, & occidi. Hinc talis purgatio prohibita est jure Civili, & Canonico, ut constat ex Later. c. 1. *de Torneam. & c. de purg. vulgari*, & ex Trid. Ses. 25. c. 19. ubi dicitur, *detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo introductum esse, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.*

30. *Quæst. 2.* An liceat duellum suscipere ad vitandam infamiam? R. neg. quia apud bonos, & prudentes viros honore non perdit, qui duellum recusat, ut Divinis, & humanis legibus obtemperet. Nec curandum est quodcumque falsum dedecus, quod inde apud improbos redundare possit, cum vera gloria sit *sequi Dominum*, ut Eccl. 23. dicitur. Unde merito ab Alex. VII. damnata est hæc prop. *Vir equestris ad duellum*